



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio secunda. vtrum Christus meruerit gloriam animæ suæ, & alia dona
gratiæ, & scientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

gratiam esse aliquo modo causam, & viam ad illam, & nihilominus simul tempore infunditur. Ex quo obiter solum relinquitur secundum argumentum primæ sententiæ.

Constat ergo ex generali ratione meriti, & præmij non repugnasse Christi animam per aliquem actum prius natura elicitum meruisse gratiam & gloriam sibi, in eodem instanti infundendam: superest, ut probemus, non repugnasse ex speciali ratione talis præmij, quod colligi potest ex D. Thom. quodlib. 9. artic. 8. & in 2. distinct. 5. quæst. 2. artic. 2. & potest ostendi, quia si in hoc est specialis repugnantia, necesse est, ut oriatur ex ipsis rebus vel actibus, in quibus tale meritum & præmium consistit: nam, cum in cæteris omnibus eadem sit ratio de hoc præmio, & alijs, fingi non potest alia radix, ex qua oriatur. Sed hinc etiam nulla repugnantia necessario nascitur, ergo, probatur minor, quia in merito Christi duo considerari possunt, aliud est cognitio intellectus, quæ fundat meritum, & hæc in illo non fuit fides, sed scientia infusa: aliud est actus voluntatis, in quo est formale meritum, qui sit, verbi gratia, actus liber amoris Dei, sed utrumque horum, etiam si prius natura habeatur, potest esse simul cum visione beata, & cum quibuscumque alijs donis gratiæ posterius natura infusus, de facto enim hæc omnia habuit Christus simul in eodem instanti, ergo ex parte ipsarum rerum, quæ sunt tale meritum, & tale præmiu, nulla est specialis repugnantia. Dicitur fortasse, simpliciter non repugnare, hæc omnia simul fieri & haberi in eodem instanti, repugnare tamen, simul fieri cum illo ordine naturæ, ut actus inferioris scientiæ natura antecedit actum visionis, & actus amoris liberi gratiam ipsam consummatam, quia scientia infusa sequitur ex ipsa visione beata, & actus amoris ex ipsa gratia, quæ proxime nascitur ex visione. Sed gratis & sine fundamento dicitur hoc esse impossibile cum nulla vel probabilis contradictio ostendi possit: quia nec necesse est, scientiam infusam sequi ex beata, cui possit Deus sua sola virtute proxime & immediate illam donare, neque necesse etiam est, primum actum procedere ab habitu gratiæ, sed potest fieri à sola potentia cum auxilio. Vnde facile explicari potest modus, quo tale meritum in Christo esse potuit, potuit enim Deus in instanti creationis animæ Christi, primum omnium elevari intellectum eius ad cognitionem aliquam Dei abstractiuam, & per scientiam infusam: & similiter præbere auxilium voluntati, ut per liberum actum se disponeret ad susceptionem gratiæ, & aliorum donorum ad eum modum, quo nunc eleuat voluntatem hominis in instanti iustificationis, ut se disponat ad gratiam: vnde sicut in iustificatione nostra, dispositio natura antecedit infusionem gratiæ, ita fieri potuit in prima sanctificatione animæ Christi per gratiam accidentalem. Est tamen differentia, quia nos per dispositionem non meremur de condigno infusionem gratiæ, quia non supponimur grati: Christus autem, quia per ipsam visionem est gratissimus, & perfectissimum principium meriti, ideo per talem dispositionem de condigno ex perfecta iustitia mereretur ipsam infusionem gratiæ: nam respectu Christi, hæc non est prima gratia, sed secunda, quæ aliam perfectionem supponit, nihil autem repugnat per primam gratiam, mereri secundam. Vnde etiam fit, ut per eandem dispositionem potuerit mereri eandem gratiam consummatam, & perfectam, atque adeo gloriam & cætera dona: quia valor & meritum illius dispositionis maius est, quam hæc omnia, & aliunde nulla est repugnantia, ut declaratum est. Ex quo discursu intelligitur, solum illum primum actum scientiæ, & primum auxilium datum voluntati Christi ad prædictum actum, non potuisse hoc modo cadere sub meritum eiusdem Christi, quia ante primam cognitionem, & primum actum

Fr. Suarez, Tom. 1.

liberum impossibile est intelligere, ut in eodem homine antecedit meritum, etiam ordine naturæ, cum meritum necessario supponat cognitionem, & in actu libero fundetur.

Secundo modo intelligi potest fuisse possibile hoc meritum per subsequencia opera, ita ut propter illa præuisa data fuerit prima gratia & beatitudo: & extendi hoc potest ad primum auxilium, & primum actum cuiuscunque scientiæ. De hoc tamen modo, quia nunc necessarius non est plura non dicam, sed iudicandum de illo est iuxta ea, quæ de possibili merito Incarnationis diximus supra quæstio 2. artic. 11. & in sequentibus occurret occasio addendi non nulla.

Ad argumenta, primo non existimo sensum D. Thomæ esse, quem explicat illa sententia, sed posse optime de potentia ordinaria explicari, ut sectione sequenti dicam. Ad primam vero rationem respondetur, gratiam, quæ esset in Christo principium meriti in dicto casu, non esse gratiam imperfectam, sed ipsam gratiam unionis. Deinde etiam si demus (ut reuera fieri posset) habitum gratiæ infundi animæ Christi sine merito, ut per aliquem actum ab illo elicitum mereretur visionem beatam in eodem instanti dandam, adhuc argumentum illud non procederet, nam interrogo, quid intelligatur nomine gratiæ imperfectæ, nam si intelligitur gratia, quæ principium aliquo tempore non habet coniunctam visionem, sic petitur principium, nego enim esse de ratione gratiæ, quæ est principium meriti, ut sit hoc modo imperfecta, nulla enim ratione hoc probatur, & ceterum satis à me probatum est. Aut per gratiam imperfectam intelligitur gratia, quæ per fidem operatur, & hoc sensu in alijs præter Christum speciali modo repugnat, meritum visionis beatæ simul esse cum ipsa visione beata, eo modo quo repugnat, fidem & visionem esse simul, siue illa repugnantia sit in ordine ad absolutam Dei potentiam, siue solum ex natura rei, aut secundum legem ordinariam, quod fortasse probabilius est, at vero in Christo Domino neque hic modus repugnantie reperitur, quia meritum eius non fundatur in fide, vnde neque gratia, quæ fuit principium eius, fuit in illo sensu imperfecta. Aut per gratiam imperfectam intelligitur gratia, quæ non habet totum augmentum seu intentionem, quam habitura est, & hoc sensu etiam facile negari potest, hanc imperfectionem esse de ratione illius gratiæ, quæ est principium meriti, nihil enim illa ad meritum confert, neque villa ratio assignari potest propter quam requiratur, præsertim cum possit habitus gratiæ esse tam intensus in viatore, quam in comprehensore. Aut denique per gratiam imperfectam intelligitur gratia, quæ est veluti in fieri & in via, & hic sensus vix potest distinguui à præcedenti, vnde neque hæc imperfectio ad meritum est necessaria posse: enim gratia consummata & perfecta in intentione gratis alicui donari prius natura vel tempore, hac lege & conditione, ut quamprimum ab illa profueret operatio libera & meritoria, statim in eodem instanti redderetur illi præmium visionis beatæ. Secundum & tertium argumentum, ex superioribus soluta sunt.

SECTIO II.

Utrum Christus meruerit gloriam animæ suæ, & alia dona gratiæ, & scientiæ.

PRIMA sententia affirmat, quam tenent Alstisa. doren. Albert. Magn. Guiliel. de Rubion, Basso. lis & Mairo, præcedenti sectione citati. Et suaderi potest nonnullis sacre Scripturæ testimonijs, Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo latiss.* Quamquam enim interdum exponatur hic locus de gratia unionis, multum tamen Sancti illum intelligunt de gratia habituali,

G 33 3 vtu-

*Etiā per
subsequen-
tia opera à
Deo præuisa,
mereri potuit
Christus di-
sta dona.*

*Gratia, vnde
gratiæ imperfectæ,
nam si intelligitur
gratia, quæ principium
aliquo tempore non habet
coniunctam visionem, sic
petitur principium, nego
enim esse de ratione gratiæ,
quæ est principium meriti,
ut sit hoc modo im-
perfecta, nulla enim ratio
hoc probatur, & ceterum
satis à me probatum est.*

*Alstisa.
Albert.
Magn.
Guiliel.
de Rub.
Basso.
Mairo.
Psal. 44.*

Isai. 53.

Psal. 136.
Vigilius.

Ioan. 10.

Isai. 62.

D. Thom.

Ioan. 1.
Rom. 8.

D. Thom.

D. Thom.

ut supra vidimus: & licet illud, propterea, possit denotare causam finalem, satis tamen commode videtur intelligi de causa meritoria. Præsertim tamen videtur virgere illud Isai. 53. Pro eo quod laboravit, videbit, & saturabitur. Visio enim, quæ sariat, non est nisi visio beata, iuxta illud Psal. 26. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Vnde sanctus Vigilius lib. 5. contra Eutychetem, hoc testimonio probat Christi animam vidisse lucē & fuisse saturatam scientia propter suū meritum: & ibidem de merito Christi exponit illa verba Ioan. 10. Propterea me diligit Pater, quia animam meam pono. Meruit ergo Christus dilectionem Patris, atque adeo gratiam. Deniq; Isai. 72. dicitur: Ecce saluator tuus venit, & merces eius cum illo.

Rationibus videtur virgentius confirmari hæc opinio. Prima colligitur ex dictis in sect. præced. iuncto principio, quo D. Thom. in hoc art. vitur: quia si meritum nõ requirit carentiam præmij, melius est habere illud ex merito, quam sine merito, sed ostensum est, hoc meritum gloriæ in Christo non requirere carentiam ipsius gloriæ: ergo perfectius fuit habere illam ex merito, quam sine illo, Christo autem tribuendum est, quod perfectius est. Maior probatur, quia habere aliquid ex merito perfectio est, vnde, si non excludat maiorem vel æqualem perfectionem, melius erit habere aliquid ex merito quā sine merito: sed nullam maiorem perfectionem excludit, quia non excludit hanc, scilicet, semper esse beatum, & nulla alia excogitari potest, quam excludat, nec D. Thom. alterius meminit. Dices excludere aliam, scilicet, quod ipsa gloria sit per se debita, ut proprietates connaturalis. Sed hoc falsum est, potest enim eadem gloria deberi, ut proprietates connaturalis ipsi vnioni, & fieri debita ex iustitia per meritum, si aliunde non sit repugnantia, nam illi duo tituli optime inter se coniunguntur, & perfectius est habere aliquid ex utroque titulo, quam ex altero tantum. Ut si regis filius regnum sibi iure hæreditario debitum, suis etiam victoriis, & facinoribus mereatur, maior illi erit gloria & perfectio, ita enim sectione sequenti nobis philosophandum est in merito gloriæ corporis Christi Domini. Vnde quod contra hanc sententiam obicitur solet, quia Christo gratia & gloria est connaturalis, tanquā naturali Filio Dei, iuxta illud Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vniuersi à Patre, & ad Roman. 8. Si Filii & hæredes. Quod autem connaturale est, non cadit sub merito. Hæc (inquam) ratio parū virgere videtur contra hanc sententiam, quia illi duo tituli (ut diximus) non repugnant: præsertim quia gloria & gratia non est connaturalis humanitati Christi secundum se, humanitati autem ut vnita dicitur connaturalis, non quia sit proprietates physice manans ab ipsa vnione, sed quia debetur secundum quandam veluti connaturalem proportionem, & congruentiam: huiusmodi autem proprietati multo minus repugnat, ut possit simul per meritum obtineri: sicut nullus negat, quin Christus Dominus potuerit obtinere gratiam habitualement per propriam dispositionem liberam, quod esset alienum à proprietate connaturali physice manante à suo principio, nõ vero à proprietate connaturali modo explicato.

Ex quo potest secunda ratio fieri pro hac sententia, nam Christus suscepit gratiam habitualement per propriam dispositionem, ergo per illam meruit gratiam ipsam. Antecedens videtur esse communiter receptum, præsertim in schola D. Thom. quia ipse docet infra. q. 30. artic. 5. Christum sanctificatum esse per proprium motum liberi arbitrij quia hic modus sanctificationis perfectior est: consequentia vero probatur, quia necesse est, ut illa dispositio fuerit actus supernaturalis ordine naturæ antecedens gratiæ infusionem, quia hoc est de ratione dispositionis, cum, esse dispositionem sit esse causam, id quod docuit etiam D. Thom. 1. p. q. 62. artic. 2. ad 3. & 1.2.

A q. 109. artic. 6. ad 3. sed dispositio ad gratiam est meritoria gratiæ de condigno, si supponat personam gratam, ut in Christo supponebat, ergo in Christo illa dispositio ut prior natura gratia, fuit meritoria gratiæ, & consequenter etiam gloriæ, quia nullus meretur gratiam, quin mereatur etiam gloriam, quia gratia est prior gloria. Et confirmatur, nam ideo dicitur Christus sanctificatus per propriam dispositionem, quia hic modus sanctificationis est perfectior, sed etiam pertinet ad maiorem perfectionem, vtilis dispositio simul sit dispositio & meritum, ergo. Tandem, posito hoc ordine naturæ, quem requirit dispositio, ponuntur omnia, quæ necessaria sunt ad hoc meritum, ut euidenter patet ex dictis in sectione præcedenti, nam illa dispositio necessario includit cum actu voluntatis actum intellectus distincti à visione beata, quia visio beata non est dispositio ad gratiam, sed consummatio eius: habuit ergo Christus de facto totum id, quod de possibili requirebamus ad meritum, ergo meruit.

Hæc sententia est sine dubio probabilis, cum habeat graues auctores, & valde probabiles rationes, & speciem quandam pietatis: vnde, qui illi temeritatis notam incurrunt, temere sine dubio loquuntur, præsertim cum nullum solidum fundamentum afferant, ut videbimus.

Nihilominus contraria sententia quæ negat, Christum hæc dona animæ suæ meruisse, sicut communior Theologorum est, ita simpliciter videtur minus probabilior. Teneat illam D. Thom. hic Magister & alij Theologi in 3. dist. 18. Bonauent. artic. 4. quæst. 1. Ricard. arti. 2. quæst. 1. Palud. quæst. 2. Durand. quæstio. 3. nu. 6. Scot. & Gab. quæst. vnica. Marfil. quæstio 12. artic. 1. conclus. 3. qui pro hac sententia refert August. sed falso, quia August. non loquitur de merito gratiæ aut gloriæ, sed de merito Incarnationis: refert item contra hanc sententiam Alexandrum Alensem, sed male, aperte enim tenet eandem, p. q. 16. memb. 3. artic. 1. & Dried. de Capti. & redempt. gen. hum. tract. 2. capit. 2. p. 3. artic. 3. Socin. ad 2. quæstio. 1. artic. 2. Canb. lib. 12. de locis cap. 14. ad 6. Caes. Solet hæc sententia fundari quibusdam rationibus inualidis, quas breuiter attingere oportet. Prima est illa de proprietate connaturali, quæ iam recta est. Secunda, quia si Christus meruisset gloriam suam, obtinuisset gloriam infinitam, sicut meritum est infinitum. Sed hæc minoris momenti est, idem enim argumentum fieri posset, ut non meruerit nobis gloriam, quia obtinuisset nobis gloriam infinitam, sicut meritum est infinitum. Simili etiam argumento probaretur, non habuisse gloriam, ut proprietatem vnioni debitam, quia vnio est infinita, & consequenter illi danda esset gloria infinita: & sine dubio, si sola dignitas eius pensetur, gloria perfectior, etiam si in infinitum augeretur, esset illi proportionata. Sicut ergo in huiusmodi exemplis dicimus in finitā gloriam non esse possibilem, & ideo datam esse Christo ratione vnionis in certo termino iuxta dispositionem diuinæ sapientiæ: ita dari potuisset ratione meriti, nam licet meritum in se sit infinitum, tamen ab ipso Christo referri posset ad præmium finitum à Deo præscriptum, sicut de facto retulit sua merita, ut in nobis haberent effectum finitum. Tertia ratio est, quia alias Christus non obtinuisset gloriam vsque ad finem vitæ suæ, quia non consummauit meritum suum, neque obtinuit perfectum ius ad præmium vsque ad finem vitæ: Sed parum etiam hoc virget, quia non oportuit omne præmium meritorij Christi differri, multa enim petiit & meruit, ut statim fierent. Illa ergo dilatio & complementum meriti potissimum locum habuit in ordine ad nostram redemptionem & completam satisfactionem pro reatu ortus humanæ naturæ: vnde consequenter factum est, ut eo etiam tempore Christus caruerit aliquibus bonis,

bonis, seu perfectionibus corporis, quarum carentia necessaria erat ad perficiendam nostram redemptionem, & ideo non ordinavit sua merita ad obtinenda ea bona ante mortem: de bonis autem animae non est eadem ratio, & ideo poterat facile ordinare suum meritum ad illa obtinenda statim, & sine dilatione vlla. Ex quo ruit quarta ratio, quae alij videntur, scilicet, quia alias habuisset Christus spem beatitudinis animae suae: hoc enim non sequitur, quia spes requirit carentiam & dilationem praemij, Christus autem si gloriam animae meruit, in primo instanti Incarnationis illam meruit, & statim, ac sine dilatione vlla, illud praemium obtinuit.

Quintam rationem addit Scotus, quam ipse aliter format, melius autem videtur hoc modo proponi: quia in beatitudine sunt aliqui habentes gloriam sine proprio merito, ex alieno tantum: sicut infantes: alij tantum habent ex proprio merito, sicut angelij: alij ex proprio & alieno simul, ut puri homines adulti, ergo decuit ad perfectionem illius status, ut esset aliquis habens beatitudinem sine vlllo merito. Sed in primis, vnde inferitur, hunc futurum fuisse Christum: cur enim id, quod ipsi habenti perfectio non est, accommodandum est potius Christo, quam alijs, etiam si ad perfectionem totius communitatis pertinere videatur? Deinde negari potest, partitionem illam ad perfectionem vel complementum status beatifici pertinere, maior enim perfectio videri potest, ut tota beatitudo omnium Beatorum in Christi meritis fundetur: vnde & vnum membrum illius enumerationis falsum est, quia angelij non ita habent gloriam ex merito proprio, quin etiam habeant ex merito Christi, ut infra dicemus. Sexta ratio aliquibus videtur evidentior, quia si Christus meruisset gloriam animae suae, propter illam praecipue venisset, & operatus esset potius propter comparandam sibi gloriam, quam nobis: quod non est modo loquendi Scripturae consentaneum. Hoc argumento vitetur Caluinus, ut probet Christum nihil sibi meruisse, Alioquin, ait, frigeret confirmatio illa amoris, quam Paulus commendat, quod pro nobis mortem subierit, ad Rom. 8. Vnde ipse quasi sui obliuiscens totum suum meritum ad nos transtulit, dicens, Pro illis sanctifico me ipsum, Ioan. 17. Sed hoc argumentum frivolum etiam est, quamquam etiam sine dubio verissimum est, Deum magis amare gloriam solius animae Christi, quam omnium hominum, & angelorum, siue illam per se ac primario praedestinauerit, ut nos probabilius existimamus, siue oblata occasione peccati: quia quaecumque ratione praedestinata sit, est maius bonum, magisque pertinet ad Dei gloriam, quam aliud. Deinde etiam verissimum est, Christum Dominum magis amare & velle gloriam suam, quam nostram: quia iuxta charitatis ordinem ita amari debet, quia illud bonum, & in se excellentius est, & magis coniunctum Deo & Christo. Nihilominus tamen verum est, Filium Dei non propter suam commodum, sed propter homines humanitatem assumpsisse, quia ipsa Incarnatio fuit humanitatis exaltatio, non divinae personae: quia divinae personae nihil inde utilitatis accessit, sed potius ei ipsam exinanivit, ut loquitur Paul. ad Phil. 2. id est, assumpsit naturam humanam passibilem, quae comparatione divinae naturae est quasi nihil, & sub ea maiestatem suam occultavit, ut omnes Patres exponunt: & in hoc sensu vitatur interdictum illa argumentatione contra haereticos Cyril. Alex. li. 3. Theos. cap. 2. Similiter etiam verum est, omnia, quae ad poenam, dolorem, & satisfactionem pertinent, ac denique quae in corpore passibili ut sic, peracta sunt, tantum propter nos fuisse suscepta, ipsi enim Christo propter se non fuissent necessaria: at vero postquam illa assumpsit, consequenter potuit Christus aliquid per ea sibi acquirere in humanitate sua. Neque inde in aliquo minuitur charitas Christi, sed in eo apparet maxima, quod

cum ad gloriam suam non indiguerit morte, ut nos copiose redimeret, voluit pro nobis mori: & ideo in Scriptura passio, & mors, & similia ad nos referuntur, quia occasione nostri peccati assumpta fuerunt.

Ut ergo aliquo probabiliori discursu hanc sententiam confirmemus, dico primo, Christus Dominus non meruit sibi gratiam creatam, neque alios habitus infusos. Probatur, quia duobus modis intelligi posset haec meruisse. Primo, per opera subsequenta tempore, vel natura, seu procedentia ab ipsis habitibus, & per hoc non meruit huiusmodi habitus. Primo quia ex natura rei meritum debet antecedere praemium saltem ordine naturae, hoc enim postulat natura ipsius meriti, cum sit causa, & via ad praemium. Quod si interdum aliter factum est, ex divina dispensatione fuit propter aliquam necessariam causam, & supposita aliqua imperfectione, ut dicemus infra, agentes de gratia data antiquis Patribus ex meritis Christi, & ideo respectu sui ipsius, non oportuit, nec decuit, esse in Christo talem modum meriti. Secundo, quia quod datur propter merita futura, datur dependenter à futuris operibus: Christus autem semper habuit haec dona, tanquam proprietates sibi connaturales, & ut absolute sua sine aliqua dependentia à futuris, quia ille alius modus habendi haec dona imperfectus esset. Tercio, quia principium meriti de facto non cadit sub merito, & ideo Christus non meruit Incarnationem suam: ergo eadem ratione habitualis gratia non cadit sub merito illius operis, cuius ipsa est principium. Quocirca omnes rationes, quibus supra probavimus, Christum non meruisse Incarnationem, probant non meruisse gratiam per haec opera subsequenta. Secundo intelligi potest hoc meritum per opera ordine naturae antecedentia hos habitus: & quod neque hoc modo possit huiusmodi meritum convenire Christo attribui, probatur, quia tale meritum primo & per se fundari debet in actibus supernaturalibus, actus enim naturales non sunt secundum se proportionati ad merenda supernaturalia dona, Christi autem meritum fuit omni ex parte perfectum, & ideo non solum ex parte personae operantis, sed etiam ex parte ipsorum operum habuit proportionem & condignitatem cum praemio. Tum praeterea, quia Christi anima in primo instanti suae creationis, vel non habuit cognitionem naturalem, ut quidam volunt, quia haec cognitio pendet à phantasmatibus: vel si habuit, non prius naturalem habuit, quam cognitionem supernaturalem, quia naturalis cognitio nullo modo fuit ratio & causa supernaturalis cognitionis. Quin potius supernaturalis cognitio dici potest ordine naturae antecessisse, quatenus per illam elevata est anima Christi ad statum supernaturalem, & beatificum, in quo esse debuit omni ex parte perfecta, & independens in omni cognitione sua ab usu phantasmatum: ergo meritum supernaturalium donorum non potuit fundari in cognitione naturali, neque in actibus voluntatis, qui illam consequuntur.

Denique certum est, omne meritum de condigno apud Deum, fundari in aliqua cognitione supernaturali, superest ergo ut probemus, non meruisse Christum habitus supernaturales per actus supernaturales ordine naturae priores. Quod ita ostenditur, quia actus supernaturalis, qui est prior naturae suo habitu, non elicitur ab illo, ut in materia de gratia late demonstravi, & infra in materia de poenitentia illud attingam, quia repugnat propriae causae efficien-tem esse effectum sui effectus in genere causae materialis, vel alio simili. At vero anima Christi nunquam operata est actus supernaturales, etiam in primo instanti, nisi ex habitu, quia semper operata est perfecta, & connaturali modo, vnde ad efficiendum primum actus scientiae infusus, praestelligitur illi esse indita lumen & species: & primum actus charitatis intelligitur sup-

Christus sibi neque gratiam creatam, neque alios habitus infusos meruit.

ponere habitum, à quo eliciatur: ergo Christus non obtinuit hos habitus per meritum horum actuum ordine naturæ antecedens, cum reuera non antecesserit: ergo ulterius nec gratia ipsa data est propter hoc meritum, quia hæc gratia, quæ est in essentia animæ, & comparatur ad alios habitus infusos, ut forma principalis ad suas potentias, ordine naturæ illis supponitur. Et eadem ratione concluditur, nullum alium habitum cecidisse sub hoc merito, quia non est maior ratio de vno quam de aliis, & quia, infusa gratia, omnes alij infunduntur, ut comitantes illam, unde alij habitus non cadunt sub merito, nisi cadat ipsa gratia. Unde confirmatur, quia isti habitus consequuntur unionem ut proprietates illius, vniõ autem hypostatica, cum substantialis sit, proprie sit in substantia ipsius animæ simul cum corpore: ergo ratione illius primo perficitur anima in essentia sua per gratiam habitualement, ex qua manant habitus ad potentias, & tandem anima sic perfecta in actu primo, intelligitur connaturali & perfecto modo prodire in actum secundum. Non ergo dati sunt isti habitus animæ Christi, quia supernaturaliter operata est, sed dati potius sunt, ut supernaturaliter operaretur, non ergo sunt dati propter meritum, sed potius ad merendum.

Neque beatitudinem animæ suæ meruit sibi Christus Primus autem intellectus Christi ordinem naturæ fuit visio beatifica.

Ex his dico secundo, non meruisse Christum beatitudinem animæ suæ. Hæc fere sequitur ex precedenti, & fere eodem modo demonstratur, nam ex dictis satis constat, non meruisse illam per actus ordinis naturalis, neque per supernaturales, posteriores vel subsequentes ipsam visionem beatam. Quod vero neque per antecedens, seu priores ordine naturæ illam meruerit, probatur primo, quia nullus actus intellectus præcessit ordine naturæ in Christo ipsam visionem beatam. Primo quia est magna perfectio animæ Christi, ut primus intuitus eius ad ipsam diuinam essentiam in se ipsam fuerit terminatus: quo enim illa anima intelligitur effecta similior ipsi diuinæ naturæ, eo perfectior ex stimanda est: primus autem intuitus Dei intelligentis intelligitur terminatus ad se ipsum, ergo anima Christi erit Deo similior, atque adeo perfectior, si ad hunc modum visionem eius participauit. Secundo, quia nullus alius actus intellectus est causa, vel dispositio ad illam visionem, ut significat D. Thom. supra q. 9. art. 3. ad 2. Et ratio est, quia non est intelligendus Christus procedere in cognitione ab imperfecto ad perfectum, etiam ordine naturæ: sed potius intelligendus est ab optimo, & perfectissimo actu, ut pote sibi intrinseco & maxime connaturali statim inchoasse. Tertio, quia lumen gloriæ est quasi prima proprietas consequens gratiam consummatam, seu existentem in eo perfecto statu in quo in fide fundata non est: sicut enim intellectus est prima proprietas consequens rationalem animam, ita lumen supernaturale & diuinum, est prima proprietas comitans supernaturalem gratiam, quæ in statu viæ propter imperfectionem eius fide videtur tanquam intellectuali virtute sibi proportionata, de se autem postulat lumen clarum & perfectum ad suam consummatam perfectionem. Quocirca, sicut non meruit Christus alias virtutes comitantes gratiam, ita neque lumen gloriæ, quod est virtus quædam per modum potentie vel habitus seu actus primi perficiendis & eleuandis intellectum ad perfectissimum actum secundum: quia, sicut alie virtutes prius natura intelliguntur infusæ animæ Christi ante omnem actum secundum, ita & lumen gloriæ. Ex quo ulterius concluditur, non meruisse Christum visionem ipsam beatam, quia prius natura intelligit anima Christi per hoc lumen quam per vllum aliud, quia est potentissimum & expeditissimum ad agendum, & habet coniunctam essentiam diuinam per modum speciei, seu obiecti actu intelligibilis perfectissimi: unde, necessario prodit in actum visionis Dei, qui est vel adæquatus illi, vel

D. Thom.

certe maxime proprius & connaturalis: unde, sicut intellectus angelicus prius natura intelligitur elicere cognitionem proprie substantie, quam cuiuscunque alterius obiecti: ita intellectus informatus lumine gloriæ, prius natura intelligitur elicere ipsam visionem Dei, quam alium quemcunque actum supernaturalem: ergo antecessit ordine naturæ illa visio omnem cognitionem, in qua posset fundari meritum, atque adeo antecessit omne meritum: non ergo per prius aliquod meritum comparata est. Quæ ratio euidentius concludit, si lumen gloriæ, & scientiæ infusæ est vnum & idem: hoc enim supposito recte concludit illa ratio, primum actum illius luminis esse visionis beatam, & consequenter ordine naturæ antecedere omnem actum scientiæ infusæ. Si vero dicamus illa lumina esse distincta, verisimilius diceretur comparari inter se, tanquam perfectum, & imperfectum in eodem ordine, & statu beatifico: videtur enim lumen scientiæ infusæ veluti accidentale perfectio illius status. Unde nulla ratione probabili videtur dici posse, actum scientiæ infusæ antecessisse ordine naturæ actum visionis beatæ, neque igitur aliquod meritum illam antecessisse credendum est. Quod tandem confirmatur, quia necesse est fateri aliquem actum cognitionis supernaturalis datum esse animæ Christi absque vlllo priori merito, ergo maxime hoc verisimile est de visione beatâ, quæ & natura sua est prior & perfectior actus, & maxime debitus ac connaturalis unioni.

Et iuxta hæc quæ dicta sunt explicanda est visio. Beatitudinis D. Thom. quæ in hoc fundatur, quod meritum beatitudinis non est simul cum ipsa beatitudine: quod nonnulli discipuli D. Thom. propter primum argumentum primæ sententiæ, de ordine naturæ interpretari conantur. Sed D. Thom. aperte loquitur de duratione temporis: intelligendum ergo est, non de quocunque merito, & præmio, sed de præmio beatitudinis & secundum ordinariam potentiam seu legem: huiusmodi enim meritum fundatur in gratia operante per fidem, & hoc sensu dici solet fundari in gratia imperfecta, ut D. Thom. loquitur i. p. q. 62. art. 4. illa autem imperfectio repugnat cum tali præmio. Quod si datur aliquod meritum fundatum in altiori cognitione, ut fuit Christum meritum, repugnat illud esse simul cum beatitudine & ordinari ad illam, quia supponit illam, ut explicatum est. Et hæc ratio probat etiam de gratia & scientia.

Ex fundamentis vero primæ sententiæ testimonia Scripturarum facilia sunt, & exponenda iuxta ea, quæ statim seorsum dicemus. Prima item ratio expedita iam est, ostensum est enim non potuisse Christum mereri hæc dona, nisi vel carendo illis, vel imperfecto modo illa habendo, vel etiam efficiendo imperfecte & non connaturali modo aliquam operationem: & ita non procedunt reliqua, quæ in illa ratione recte dicuntur, sed non contra nostram sententiam: quia non nicitur fundamento ibi impugnat, scilicet, quod illi duo tituli meriti & proprietatis connaturalis repugnant: hoc enim non dicimus sed solum, quod repugnauerit habere hæc dona cum omni perfectione debita & connaturali & habere ex merito. Vt autem recte supra notauit seorsum, quod Christus non meruerit hæc dona, solum quia perfectissimo modo illa præhabuit, nihil minuit perfectione eius, quia nihilominus vere habuit potestatem merendi hæc omnia, seu quidquid perfectionis est in tali potestate habuit etiam actuale meritum tanti valoris, ut ad hæc omnia promerenda esset sufficiens. Quod ergo propter solam anticipationem, vnum non fuerit ordinatum ad aliud, nihil perfectionis simpliciter minuit. Possimus exemplum adhibere in ipsomet Christo, ut Deus est, cuius perfectionem non minuit quod generat Deum non possit, quia in se habet quidquid perfectionis est in

est in potentia generandi, & totam perfectionem actus, quo pater generat, & solum non conuenit illi generare, quia secundum ordinem originis quodammodo à Patre præuenitur est.

Ad secundum discipuli D. Th. valde laborant, vt concilient has sententias, quas ipsi tribuunt D. Tho. scilicet Christum sanctificatum esse per propriam dispositionem, & nihilominus non meruisse gloriam per talem dispositionem, & qui melius effugit, respondet, licet dispositio sit prior in genere causæ materialis, non tamen simpliciter, & ideo non esse meritoriam. Sed hoc non satisfacit, tum quia hæc dispositio simpliciter est prior natura, vt in materia de gratia demonstrauit: tum etiam quia iuxta doctrinam D. Tho. ipsum meritum ad genus causæ dispositiuæ reuocatur, vt patet ex 1. p. q. 23. a. 5. Respondet igitur negando, animam Christi fuisse sanctificatam per dispositionem, quia se ipsam ad gratiam præparauit, vt recte docuerunt Bonau. & Ricar. supra & in eadem sententia fuisse solum refert Medina supra q. 7. a. 13. in fine, qui non satis consequenter loquitur, tam in eo loco, quam in præfati: quia reuera est eadem ratio in Christo Domino de merito & de dispositione: tum quia vera dispositio ad gratiam procederet ab auxilio & non ab habitu gratiæ: tum etiam quia oporteret talem dispositionem fundari in aliqua cognitione priori visione beatifica. D. Thom. autem in citato loco q. 3. a. 3. solum dixit, Christum esse sanctificatum secundum proprium actum, quod non necesse est intelligi de actu, qui natura antecedit ipsam infusionem habitus, sed qui consequatur potius per modum liberi consensu, quo anima, quæ sanctificatur, diligit suum sanctificatorem, & gratias ei agit: qui actus & si quis est alius similis, non est dispositio præparans, sed veluti ornans, & cōsummans ipsam sanctificationem, sicut actus secundus perficit primum: hanc enim duplicem dispositionem distinguit D. Tho. supra q. 9. a. 3. ad 2. significans, dispositiones animæ Christi potius esse posteriori, quam prior modo explicandas. Et conueniens ratio reddi potest, quia cum anima Christi nihil haberet repugnans sanctificationi, imo haberet ratione vnionis veluti intrinsecum principium sanctificationis connaturalis, non indigebat libera dispositione præparante ipsam ad gratiam, sed potius ex vi vnionis gratia illi data est, vt per eam modo perfectio & connaturalis, statim operaretur. Quocirca hæc Christi sanctificatio non in omnibus proprietatibus similis fuit sanctificationi aliorum, etiam ratione ventum, habuit enim quiddam perfectionis in aliis inuenitur, & ideo simul habuit actum secundum cum primo. Quod vero in aliis sit dispositio præparans, & natura prior, ad perfectionem non pertinet, sed potius imperfectiōnem supponit: quia vel sanctificatio sit ad remouendum peccatum, vel saltem ad eleuandam naturam ad supernaturalem ordinem: at vero Christi anima supponitur eleuata per gratiam vnionis, quam nulla potuit præcedere dispositio, vt supra demonstratum est.

Sed, quanquam ea, quæ diximus, vera sint de habitibus gratiæ & scientiæ perfecte infusis, dubitari adhuc potest primo, an meritum fuerit Christus gratiam actuale, seu actus supernaturales, aut valorē suorum actuum. Quidam enim formidant concedere huiusmodi meritum actibus Christi; quia alias toto illo tempore quo sibi hæc merebatur, nihil nobis mereri potuisset; & ita vsque ad finem vitæ, & fortasse vsq; ad extremum actum meritorium, quando iam nihil amplius sibi merebatur, nihil etiam nobis fuisset meritis; quod esse plusquam falsum, constat ex his, quæ disp. 39. sect. 2. & 3. adduximus, & ex supra dictis q. 1. art. 2. disp. 4. Sequela probatur, quia quilibet actus Christi erat infiniti valoris: ergo, si per priorem actum merebatur valorē actus subsequenter, illud erat ad æquatum præmium talis actus: ergo

A per illum nihil amplius poterat de condigno mereri: ergo, si semper per actus priores meritis est posteriores gratias actuales, & valore subsequenter actuum, nihil potuit per illos priores actus nobis mereri, donec peruentum est ad actum, quo nihil sibi meritis est, quod de solo ultimo actu dici poterit.

Sed hic discursus fundatus est in vno timore pro-
ueniente ex falsa exultatione meritorum Christi, & infiniti valoris eorum. Ostendi enim supra disp. 4. Christi meritum tam esse excellens & infinitum, vt quilibet actus eius ad omnia præmia, tam diuine quam collectivæ sumpta, sufficiat, etiam si in illis plura contineantur, quæ infinitatem habeant, & cum eis alia coniungantur; nam hæc omnia adæquat infinitas diuine personæ, à qua sumitur infinitus valor meritorum Christi. Secundo deficiit ille discursus, quia, licet Christus meritis fuerit gratiam actuale non sequitur meritum etiam fuisse valorem suorum actuum, vt declarabo.

Alij negant, Christum meritum fuisse has gratias, quia erant sibi connaturales & debite, tam ratione vnionis quam ratione habituum supernaturalium. Sed hæc ratio non est sufficiens, vt ex dictis constat: quia diximus, hos duos titulos, scilicet, debitum connaturalitatis, & meriti non repugnare, si aliunde non intercedat impedimentum, vel aliquid repugnans merito. Nam etiam in homine puro, qui per infusionem primæ gratiæ iustificatur, reperimus, hoc ipso, quod illi prima gratia infunditur debet ei gloriam debito connaturalitatis, vt hereditatem filio; & nihilominus, iuxta probabilem sententiam eam sibi meretur per actum contritionis gratia formatum.

Distinctione igitur videtur vtendum, & in primis excludendi sunt actus beatifici, & omnia bona supernaturalia ad illos necessaria, de his enim iam satis dictum est. Nam, quæ de beatitudine animæ diximus, procedunt de omnibus actibus necessariis ad illam beatitudinem, siue in eis consistat essentia beatitudinis siue non; & à fortiori procedunt de quolibet Dei concursu ad illos necessario: nam ille etiam omne meritum antecedit. Deinde omittendus est primus actus meritorius Christi, quia ex iisdem rationibus factis constat, neq; talem actum secundum se potuisse esse ex merito, cum meritum non supponat, neq; etiam concursus ad talem actum, vel quicquid ad illū necessario præxigitur, potuisse esse ex merito propter eandem causā. Difficultas ergo superest de reliquis actibus, qui tempore vel natura consequuntur primum actum meritorium. In quibus distinguere potest id, quod erat ex solo Deo, vt Deus est, & quod erat ex humana Christi voluntate libere e-
liciente vel imperante & quod erat ex Verbo Diuino vt hypostatice vnito humanitati. A Deo enim vt Deo, erat actualis concursus gratiæ seu supernaturalis ad tales actus, & omnis actualis gratia præueniens: ostendimus enim supra q. 7. has etiam gratias fuisse interdum necessarias, interdum valde viles animæ Christi. A voluntate humana Christi erant iidem actus, quatenus in eos influebat libere. A Verbo autem erat specialis dignitas & sanctitas, quæ illis actibus communicabatur, & quantitas valoris infiniti, quem in genere meriti & satisfactionis habebant.

Vt ergo à clarioribus incipiam, actus Christi Domini, vt erant ab illius humana voluntate, non cadebant sub meritum eiusdem Christi. Patet, quia nemo meretur id, quod est suum, quatenus suum est, sed actus, vt sunt à propria voluntate, sunt ita proprii ipsius operantis, vt ea ratione dicatur maxime ipsorum dominus: ergo vt sic non cadunt sub meritum ipsius operantis. Hæc autem ratio eodem modo procedit in Christo. Secundo, quia ea tantum cadunt proprie sub meritum eorum Deo, quæ sunt dona eius: sed actus liberi vt sic non sunt dona

Dei,

Anima
Christi non
fuit sancti-
ficata per
proprium dis-
positionem
præparanti-
am.
Bonauent.
Ricard.
Sotus.
Medina.
D. Thom.

D. Thom.

Dubium.

Quærendū
opinio.

Aliorum pla-
cium refuta-
tur.

Per distinc-
tiones qua-
rias dubia
satisfi-
tur.

DEI, nisi ut sunt à Deo, non vero ut sunt ab ipso homine operante, nisi quatenus Deus facit, illum operari, in quo iam consideratur operatio ut est à Deo, & non præcise ut est ab homine, ergo, absolute loquendo de actu sub hoc præciso respectu ut est à voluntate libera, non potest esse premium meritorum, & consequenter nec potest cadere sub meritum.

Addo ulterius, hos actus, quantum ad valorem infinitum, quem habebant ex coniunctione ad Verbum; non cecidisse proxime sub meritum Christi, non quia exhaurirent illud meritum: hæc enim ratio (ut opinor) parui momenti est: sed quia ille valor non penderet ex nova Dei voluntate, neque ad illum est novus concursus necessarius, imo neque impediri potest, etiam de potentia absoluta, supposita vniione hypostatica in ipsa natura, quæ est talis operationis principium: & ideo dixi, proxime non cadere hunc valorem sub meritum, nam remote, si ipsa vniio caderet sub meritum, posset aliquo modo talis valor attribui meritis, non in se, sed in radice: sicut nunc dici potest de vniione quoad conseruationem eius, ut supra dictum est. Sed hoc non satis est ut valor operum in se dicatur cadere sub meritum, sicut nuncius meretur augmentum gratiæ, à quo augetur etiam subsequens meritum, & tamen non dicitur mereri posteriora merita, quod maiori ratione in præsentem verum est.

Argumentor igitur in hunc modum, quia id solum cadit sub meritum respectu DEI, quod Deus ipse conferre potest, & posset etiam non conferre non intercedente merito: sed supposito quod Christus sic operetur, fieri non potest, quin talis actus habeat infinitum valorem, & sanctificationem, ac dignitatem infinitam à Verbo: ergo, supposita incarnatione talis actus secundum talem specialem rationem non potest cadere sub meritum. Dices. Videtur hæc ratio coincidere cum alia de proprietate connaturali aut debito: quia hic valor videtur esse connaturalis proprietati moralis talium actuum prout sunt à Verbo incarnato. Respondetur, esse quidem proprietatem connaturalem, sed talem quæ fit à solo Verbo quasi formaliter, sine nouo influxu aut causalitate Dei, quia non est proprietas physica sed moralis. Unde etiam fit, ut impediri non possit de potentia absoluta, supposita vniione, sicut fieri non potest quin humanitas sanctificetur per vniionem. Nec potest illa sanctificatio cadere sub meritum, si vniio sub meritum non cadit. Non ergo procedit ratio de quacunque proprietate connaturali, sed de illa quæ est tantum formaliter à priori dono, seu gratia vniionis, & nouam dependentiam à Deo non habet. Secus vero est de proprietate, debita quidem ex quadam proportionem connaturali, quæ tamen indiget nouo influxu Dei, & quam Deus posset negare absolute loquendo: in hac enim proprietate est longe diuersa ratio, ut per se constat.

Occurrit obiectio.

Sed obijcies, nam supra disputat. 10. sect. 4. diximus, meritum fuisse Christum partialem vniionem hypostaticam illarum partium materiæ, quas per continuam nutritionem acquirebat: ergo eadem ratione meritis est vniionem in hypostasi conuenientem actibus, quos in discursu totius vitæ exercebat: meritis est igitur infinitum valorem, quem tales actus ex hac vniione habuerunt. Respondetur, negando priorem consequentiam, quia partes materiæ vniuntur immediate Verbo Dei: unde necessaria est noua actio, & quasi nouum donum Dei, ut illa in se ipsis vniantur, & de absoluta potentia possent non vniiri, etiam si humanitas, ut ex paruo corpusculo composita, esset vnita: & ideo est in illis quidquid necessarium est, ut cadere possint sub meritum, supposita actus meritorij & sufficientis effectione & antecessione. At vero actus non vniuntur Verbo immediate, sed tantum mediate, & quasi denominatione extrinseca ab vniione facta in humani-

tate, & ideo talis vniio non potest cadere sub speciale meritum, quia solum est veluti relatio resultans necessario, posito fundamento, & termino, quam impossibile est cadere sub proprium & distinctum meritum ab ipso fundamento & termino: maxime si supponatur (quod in præsentem verissimum est) ad illam resultantiam nullum nouum Dei influxum esse necessarium.

Vltimo addendum est, meritum fuisse Christum omnes actus supernaturales, quos post primum meritorium habuit, quatenus sunt dona DEI, hoc est, quantum ad supernaturalem concursum, quem ad illos eliciendos, à Deo habuisset, & consequenter etiam fuisse meritum omnes gratias actuales, tam excitantes, quam adiuuantes, omnesque supernaturales providentiæ effectus ac beneficia suæ humanitati collata. Ratio est, quia respectu harum gratiarum fuerunt in Christo omnes conditiones ad meritum necessariæ, sine vlla noua dispensatione, sed modo maxime connaturali: ergo nulla superest ratio ad negandum hæc meritum fuisse, cum aliunde procedant omnes rationes supra tactæ, scilicet, quod hoc spectat ad quandam maiorem perfectionem: nam ex parte ipsius Christi ut hominis, quam ex parte Dei, & sapientissime providentiæ eius. Antecedens probatur facile, quia primus actus meritorius Christi habuit sufficientem valorem ad hæc omnia promerenda, ut constat ex dictis disp. 4. antecessit etiam tempore, vel natura reliquos omnes actus, vel actuales gratias, ut supponimus. Huiusmodi etiam gratiæ ex se sunt conuenientia præmia meritorum: unde & nos, si iusti simus, interdum illas meremur: nam bene vtendo priori gratia, meremur posteriorem: & ipse Christus illas nobis promeritus est: quid ergo obstat potuit, quin Christus sibi fuerit illas meritis? Dices. Quia erant sibi connaturales ratione vniionis & status beatifici. At hoc nihil obstat, quia res vno modo debita potest fieri debita alio titulo, præsertim quando nouus ille titulus est diuersæ rationis, & maius quoddam vinculum addit priori debito: ita vero est in præsentem, nam meritum ad debita inquit, quod diuersum est à debito connaturalis proportionis, & aliquo modo maius, quia, quod hoc modo debetur, negari non potest ex solo arbitrio & voluntate debitoris, quin violetur rectitudo alicuius virtutis: quod vero priori tantum modo debetur negari potest, saltem per potentiam Dei absolute tam ex ipsius voluntate sine defectu rectitudinis seu violatione alicuius virtutis. Quamuis ergo hæc gratiæ actuales Christo essent illo priori modo debite ratione vniionis, nihilominus habuit locum in eis meritum, ut fierent debita etiam ex iustitia.

Dices, hac ratione, ad summum, probari, non repugnasse ut hæc gratiæ caderent sub meritum Christi, non obstante priori debito, non vero, quod de facto illas meruerit: unde cum hoc alias nulla sufficiente autoritate aut ratione constet, non est cur sine necessitate asseratur. Præsertim, cum non videatur verisimile, Christum ordinasse sua merita ad obtinenda hæc auxilia, quæ cetero sciebat, sibi esse parata & donata cum ipsa vniione. Respondetur, vtrumque concludi sufficienter ex discursu facto: probatur enim illa ratione potuisse Christum Dominum hæc dona mereri, seruatis omnibus legibus necessariis ad meritum, tam ex natura rei, quam secundum ordinariam Dei providentiam, quia hæc gratiæ sunt ex his bonis, quæ proposita sunt hominibus viatoribus in premium bonorum operum, & Christus viator fuit, & meritum eius valorem habuit sufficientissimum, & antecessit collationem harum gratiarum. Huic autem principio adiungimus, Christum Dominum meritum fuisse tam sibi, quam aliis, quidquid sine dispensatione mereri potuit, quia cum hoc sit maioris perfectionis, & in Christi operibus & dignitate habeat sufficientissimum fundamentum non est cur

Respondet obiectum.

est cur ipsi denegetur. Accidit, quod Deus in omni genere causarum & effectuum operatur per causas secundas quidquid commode potest: ergo in genere causae meritoriae operabitur per Christum, praesertim in ipso: Christo, eiusque humanitate, quidquid conaturaliter potest. Neque necesse est, ut omnia in particulari, sint reuelata, sed satis est, quod in principiis generalibus contineatur: alioqui multa alia essent à Christo iure excludenda, ut quod promeritis sit capitis dignitas, vim miraculorum effectricem, & alia de quibus seque. seq. dicemus. Sicut de puris hominibus non sunt in particulari reuelata omnia, quae merentur, & tamen ex principiis generalibus, & ex quibusdam particularibus alia colligimus, ut quod bene utendo vno auxilio, mereantur aliud, &c. Quod denique attinet ad ordinationem meritorum Christi, ut fiebat per voluntatem eius humanam in primis ad merendum aliquid, non est necesse, ut is, qui meretur, ex propria intentione ordinet suum meritum ad obtinendum tale praemium, ut in nobis etiam constat: sed sufficit diuina ordinatione, & promissio sub conditione operis. Ac deinde, licet in particulari non fiat haec relatio, tamen in generali nullus est, qui vel formaliter vel virtute non habeat intentionem consequendi vel merendi suis operibus, quidquid potest, iuxta illorum valorem, & leges à Deo statutas. Tandem in Christo, qui omnia distincte agnoscebat, verisimilius est, actu ordinasse sua merita ad obtinenda omnia praemia, quae sub meritum suum cadere poterant iuxta diuinam ordinationem: in hoc enim nullum est inconueniens: nec imperfectio, sed potius maior perfectio, quia cum hac ordinatione habebat Christus optimos fines & motiua in suis operibus, & meritis exercendis, & hanc ipsam ordinationem suorum meritorum, ad maiorem Dei gloriam tandem ultimatè referebat.

Ultimus e-
videndi mo-
ius occidu-
tur.

Sed dicit tandem aliquis. Ergo meritum est sibi Christus Dominus impeccabilitatem animae suae, quia meruit illam diuinae prouidentiae directionem, qua suae animae collatum est, ut à bono declinare non posset: consequens videtur esse absurdum, quia Christus non suis meritis factus est impeccabilis sed natura sua ita id habuit, ut secluso omni merito illi denegari non potuerit, etiam de potentia absoluta. Respondetur, negando sequelam, quia ante omne meritum fuit impeccabilis, sicut fuit sanctus per gratiam vnionis: unde hoc non est ex donis, quae subsequuntur, sed ex his, quae antecedunt primum actum meritorium. Quod confirmatur, nam esse impeccabilem non dicit actum tantum, sed intrinsecum debitum & necessitatem carendi omni culpa hanc autem necessitatem non habuit Christus per meritum sed immediate ex vi vnionis, & ideo non meritum est esse impeccabilis, etsi mereri potuerit particulare auxilium, quo voluntas eius ad aliquod bonum operandum excitata, vel adiuta est. Necessitas enim non peccandi tantum est necessitas quoad specificationem, & abstrahit ab hoc vel illo modo, quo potest executioni mandari: & ideo, licet hoc vel illud auxilium cadat sub meritum non tamen ipsa necessitas non peccandi. Eo vel maxime, quod per visionem beatam facta est proxime illa anima impeccabilis, licet radicaliter iam esset impeccabilis per vnionem, & tamen nec vnio, nec visio beata, sub Christi meritum ceciderunt, ut in superioribus ostensum est.

Dubio la h.
quot enoda-
tur.

Ex his expeditur quaestio, an Christus meritum suum genere acquiritarum: item concursum & auxilium ad omnes actus habituum recte & frequenter exercendos: item ministracionem specierum intelligibilium accommodatam ad plenitudinem scientiae vel experientiae obtinendam absque defectu vel errore, & similia. Dicendum est enim, in primis non

A meruisse sibi Christum dictos habitus, quia illos habuit per accidens infusus à principio simul cum gratia & in eodem signo atque adeo prius ordine naturae quam actum meritorium exerceret: quia prius intelligitur perfecte constitutus in actu primo ad actus omnes exercendos, quam in actum aliquem secundum exierit. Tenendo autem, hos habitus discursu temporis fuisse comparatos, ex alio principio dici potest non cecidisse sub meritum, quia scilicet sunt naturalia bona, & in causis naturalibus sufficenter contenta, imo ex illis necessitate quadam obtinenda: huiusmodi autem bona non sunt ordinata à Deo, per se loquendo, ut per meritum habeantur, sed solum ea, quae supernaturalia sunt, quod in Christo Domino intelligendum est modo statim declarando. Deinde, de ministracione specierum vel phantasmatum concursu, & alijs supra tactis quando mere naturaliter fiebant per solas causas naturales suo naturali cursu operantes, nullum erat necessarium meritum, ob rationem dictam. Quando autem intercedebat singularis prouidentia, vel actio Dei, siue immediate, siue mediantibus angelis, singulari & extraordinario modo Christo obsequantibus multum verisimile est, totum id fuisse Christo retributum, non solum propter personae dignitatem, sed etiam propter sua merita. Nam in huiusmodi bonis locum habent omnes rationes factae, & omnes leges & condiciones meriti: & illa bona, licet in substantia naturalia sint, in modo tamen sunt supernaturalia & ad supernaturalem finem ordinata erant, nimirum ad vnionem hypostaticam tanquam debitum ornamentum eius, & ut Christus conuenienter posset sua munera exercere, praesertim munus redemptoris, & doctoris hominum, & supremi iudicis, ac perfectissimi exemplaris virtutum omnium.

SECTIO III.

Utrum Christus meruerit gloriam sui corporis, suisq. nominis exaltationem.

Caluinus
Guilielm. de Rubion.
Scotus.

Caluinus, ut supra retuli, negat Christum aliquid sibi meruisse, cuius sophisticum fundamentum supra indicauimus, & dissoluimus: ex Scholasticis vero Guilielmus de Rubion in 3. d. 18. non negat simpliciter hoc Christi meritum, dicit tamen esse rem dubiam & incertam, & ideo non esse simpliciter affirmandum, quia neque ex Scriptura colligitur, neque ex certa aliqua ratione: quia cum Christus sit dominus omnium, non indiguit merito, ut perfectionem quamcunque, seu dignitatem obtineret. Scotus vero eadem distinct. 18. dicit indirecte meruisse Christum gloriam corporis, quia meruit, ut remoueretur impedimentum talis gloriae, directe autem non meruisse illam, quia ablato impedimento habebat intrinsecum principium, ex quo illa manaret. Et ad huc modum videtur loqui Cyril. lib. 3. Thesau. cap. 3.

Cyri.
D. Thom.
Magist.
Luc. 24.
Philip. 2.

Dico tamen primo, Christum Dominum meruisse se gloriam corporis sui, neque hoc posse sine temeritate negari. Ita enim docent Theologi omnes cum D. Thom. hic, & Magistro in 3. d. 18. & habet magnum in Scripturis fundamentum. Luc. enim 24. dicit ipse Christus, Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? satis aperte significans, per passionem parasse sibi viam ad gloriam, atque adeo illam sibi meruisse, quod magis explicuit Paul. ad Philip. 2. dicens: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Vbi particula illa, Propter, si iuxta vim & proprietatem suam, ut debet, explicetur, non tantum consecutionem vnus post aliud, ut haeretici exponunt, sed etiam vnum fuisse causam alterius significat: nulla autem alia ratio causae hic intercedere potest, nisi meritoria, & ideo ad Hebr. 2. dicit idem Paul. Vidi-
mus IESVM propter passionem mortis gloria & honore coronat.